Igitur, cum David in hoc loco dicit: DOMINUS IN COELO SANCTO SUO, omnes istas significationes complexus est, perinde ac si dixisset: quamvis habites in coelo loco excelsissimo et sis ipse excelsissimus, juxta naturam tui loci; tamen non dedignatus es respicere ad humanum genus, infirmum atque infimum: et quamvis habites in coelo, loco efficacissimo ad influendum in inferiora, et tu sis, juxta tui loci naturam, efficacissimus et potentissimus ad efficiendum quidquid velis, ac proinde posses nos redimere solo tuo verbo; tamen voluisti ipse ad nos descendere, et pro nobis mori, et pro nobis resurgere, ut simul nos resuscitares ad novam et beatam vitam: et similiter quamvis habites in coelo, loco aptissimo ad prospiciendum, ac proinde tu omnia cognoscas et omnia provideas, juxta tui loci naturam; tamen, ut melius nostris malis providere possis, voluisti ea ipsa experiri et miseriarum nostrarum gustum capere, ut *tentatus per omnia* (sicut scribit Paulus *ad Hebraeos*, IV) *posses compati infirmitatibus nostris:* et tandem, ultimo, quamvis habites in coelo, loco mundo et puro, ac proinde tu, juxta tui loci naturam, sis purissimus et alienus ab omni sorde; tamen, ut nobis benefaceres, sordem sordis nostrae, id est, humanae naturae, suscepisti sine peccato. DOMINUS, inquit, IN LOCO SANCTO SUO, id est, potens, excelsus, nullius egens, providens universa, ab omni sorde purissimus, nostri causa adeo se dejecit ad nostram conditionem, ut nobis, orphanis et ab omni bono viduatis, esse voluerit pro patre et pro marito et sponso dulcissimo. Sequitur:

7.—Qui habitare facit unius moris in domo....

Pro eo, quod noster interpres UNIUS MORIS, similiter LXX interpretes posuerunt UNIUS MODI; Symmachus, autem, (et divus Hieronymus in editione Psalmorum ad veritatem hebraicam) posuit SOLITARIOS. Vox, autem, hebraica, quae habetur in hoc loco, proprie significat *solus;* quo nomine

Hebraei significant coelibes, id est, qui sine conjuge vivunt, sibi ipsis unis et solis. Ex quo intelligitur, nostrum interpretem recte vertisse, cum dixit: UNIUS MORIS, nam ista ratione rectissime significantur coelibes, nam qui vitam coelibem vivunt, sunt UNIUS MORIS, hoc est, servant eumdem tenorem vitae et sunt sibi similes, cum contra vita conjugatorum divisa sit secundum varietatem curarum et negotiorum, quibus illa vita est obnoxia, sicut divus Paulus scripsit in prima *ad Corinthios*, capite VII, dicens: *Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Igitur, cum UNIUS MORIS (verbo) in hoc loco significat (David) solitarios et coelibes, filiis et prole carentes. Sed videndum est, quid significet id, quod dicitur habitare in domo.

Pro quo adverti debet, quod, quamvis usus metaphorae sit communis omnibus linguis, tamen in S. Scriptura sunt quaedam metaphorae propriae illarum Litterarum, et non communes illi cum aliis linguis, quarum exempla nonnulla proferam. V. g.: nomen *uberum* in S. Scriptura per metaphoram transfertur ad significandos complexus et amores, et ea metaphora est propria S. Scripturae; sic, enim, accipitur *Canticorum* primo id, quod dicitur: *Quia meliora sunt ubera tua vino,* id est, amores tui vino potentiores sunt ad laetificandum animam et ad complendum eam optima spe et ad excitandum animum ad maxima quaeque et praeclara facta; quod idem efficit charitas Dei, de qua scribitur quod fructus illius est *pax et gaudium in Spiritu Sancto,* et caetera, quae sequuntur. Simili modo accipitur idem nomen *Proverbiorum* capite V, cum dicitur: *Cerva charissima et gratissimus hinnulus, ubera illius inebrient te in omni tempore,* id est, quemadmodum cerva grata est et voluptatem affert aspicientibus, ita tibi grata esse debet conjux tua et illius amore te oblectare debes. Et eodem modo accipitur paulo infra, capite VII, cum ex persona cujusdam feminae dicitur: *Veni, inebriemur uberibus, donec illucescat*

dies. Similiter, est proprium S. Scripturae ista verba, scilicet, stillare aut imbres emittere, transferre ad significandum copiosam et eloquentem orationem; sic dicitur in psalmo LXXI, de Christo et de illius sermone dulcissimo: *Descendet sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram;* hoc est, Christus oratione dulcissima penetrabit ad hominum animos, quemadmodum pluvia, sensim et guttatim descendens, terram penetrare solet. Et similiter in *Cantico* Moysis dicitur: *Concrescat sicut pluvia doctrina mea*; et in libro *Sapientiae* (1), capite VII, dicitur: *Sapientia emittet quasi imbres eloquium suum*. Ita est proprium S. Scripturae hanc vocem: *lignum* vel *arbor* transferre ad significandos homines: et bonos vocat lignum viride; malos, autem, lignum aridum. Quod lignum transferatur ad significandos homines, patet ex illo *Ecclesiast.*, capite XI: *Ubicumque ceciderit lignum, sive ad aquilonem sive ad austrum, ibi erit;* quibus verbis, sicut veteres Patres interpretantur, Salomon metaphorice significat, quod in quamqumque partem quis moriendo ceciderit, in eamdem (est) permansurus. Quod, autem, mali vocentur lignum aridum et boni viride, manifestum est ex illis verbis Christi: *Si in ligno viridi*, id est, in me *ista fiunt, in arido*, id est, in vobis *quid tandem futurum est?* Videtur, autem, ista metaphora ducta ex psalmo I: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*; nam, quemadmodum plantata arbor juxta aquas, virescit et folia profert, sic justi proferent uberrimos fructus, et idcirco vocantur lignum viride; contra, autem, injusti et peccatores, quia carent virore gratiae, nec proferunt bonorum operum fructus, idcirco vocantur lignum aridum. Igitur, ad hoc genus metaphorae, quod est proprium S. Scripturae, pertinet hoc, de quo agimus, scilicet, HABITARE IN DOMO, nam quia domus accipitur pro familia et

(1) Textus, ad verbum, invenitur *Ecclesiastici* cap. XXXIX.

posteritate (v. g., *domus David* significat familiam et posteritatem David), ideo habitare in domo in S. Scriptura aut facere habitare in domo nihil aliud significat, quam abundare prole et posteritate, ut patet ex psalmo CXII: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem;* nam posterior pars hujus versus declarat priorem partem illius; quod, enim, dixit: *Qui habitare facit sterilem in domo*, id statim explicat: *matrem filiorum laetantem*. Igitur, cum UNIUS MORIS, proprietate hebraica, appellentur coelibes et prole atque filiis carentes, et HABITARE IN DOMO significet abundare prole et posteritate, cum David dicit: QUI HABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO, id sine dubio significat, scilicet, Deum efficere, ut qui steriles erant prole et posteritate abundent.

Sed quaeret aliquis, quinam sint isti coelibes qui a Davide praedicuntur donandi a Deo prole et posteritate? Ad quod respondetur, primo, his nominibus Davidem in hoc loco significare genus humanum, quod quia venumdatum erat peccato, nullam prolem habebat bonorum operum; et tamen virtute mortis atque resurrectionis Christi et per fidem vivam illius, id quod antea erat sterile et infecundum, edidit magnos fructus bonorum omnium operum: et sic, recte dicitur, quando agitur de Christi morte atque resurrectione, quod fecit HABITARE IN DOMO UNIUS MORIS; id est, fecit ut qui erant steriles in bonis operibus, abundarent prole bonorum operum. Vel, etiam, potest dici, his nominibus significari a Davide eos, qui posuerunt prima fundamenta primitivae Ecclesiae, scilicet, illam congregationem Apostolorum et discipulorum Domini; quae congregatio cum in initio sui esset in tam parvo numero, et ab hominibus contemptui habita, ita ut vere appellari potuissent secundum homines solitarii et steriles, tamen, brevi, Deo cooperante per mortem, ad eam magnitudinem pervenit et tot genuerunt filios in fide, ut verissime dictum sit a Davide: QUI HABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO. Sequitur:

QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE, SIMILITER EOS, QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCHRIS.—Et hoc etiam pertinet ad laudem Christi, quam illi tribuit David in his carminibus, in hoc psalmo, cum illum inducit a morte redeuntem atque triumphantem. In qua laude, ut superius visum est, David ea bona commemorat, quae Christus attulit hominibus per suam mortem atque resurrectionem; quorum bonorum et hoc unum est, quod illos liberavit a vinculis et a carcere. QUI EDUCIT, inquit, VINCTOS IN FORTITUDINE; id est, qui magna sua potentia atque fortitudine in libertatem asseruit eos, qui vinculis constricti tenebantur. Quod, quidem, dupliciter intelligi potest: vel generaliter, de toto humano genere, quod Christus sua morte, quantum ad sufficientiam, liberavit a vinculis peccati; vel potest intelligi particulariter, de his Patribus sanctis, qui erant detenti in limbo, quos Christus resurgens liberavit et secum duxit; quam expositionem sequitur Cassiodorus. Quae, quidem, mihi magis probatur: nam, ut dictum est, in his versibus David Christi resurrectione et quasi in triumpho ipsum inducit; cui, quidem, resurrectioni et triumpho maxime conjuncta est liberatio Sanctorum Patrum e limbo. Quare convenientissime David illius meminit in isto loco, dicens: QUI EDUCIT VINCTOS IN FORTITUDINE.

Quod, autem, sequitur: SIMILITER EOS, QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCHRIS, potest dupliciter intelligi: primo, repetendo a communi illud verbum: QUI EDUCIT, ut sit sensus: et SIMILITER EDUCIT EOS, QUI EXASPERANT et caetera, quasi dicat: non solum vinctos, qui erant in limbo liberavit et secum duxit, cum victor ad vitam rediit, sed etiam eos, qui in hac vita erant aversi a Deo et illi inimici, et quasi habitantes in sepulchris suorum peccatorum, ad fidem convertit et ad Deum perduxit. Secundo, potest intelligi, non repetendo illud verbum: EDUCIT, sed potius supplendo oppositum verbum, scilicet: *reliquit*, ut sit sensus:

quemadmodum vinctos educit e locis inferni, sic similiter relinquet in inferno VINCTOS et perterrefactos, id est, daemones ipsos; et QUI HABITANT IN SEPULCHRIS, id est, in inferno loco, quod mortis domicilium (est). Cui expositioni vehementer suffragantur verba hebraica, ad verbum conversa, sicut illa convertit divus Hieronymus in interpretatione psalmi, quam fecit ad hebraicam veritatem; quae verba sic habent: DESERTORES ET REBELLES HABITARE FECIT IN LOCO SITICULOSO, quasi dicat: Christus, descendens ad inferos et vinctis spiritibus praedicans, et tandem rediens ad vitam, sicut bonos atque pios, qui in limbo erant, liberavit et secum duxit, sic DESERTORES, id est, daemones, et REBELLES, id est, illos qui daemonum partes sequuntur, reliquit IN SITICULOSO LOCO, id est, in inferno; qui infernus sic appellatur, non solum propter ignis ardorem, sed etiam propter ariditatem et sterilitatem omnis boni. Sequitur:

8.—Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.—9.—Terra mota est, etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

Verba haec, vel dicuntur a Davide, sermonem suum ad Deum convertente, vel dicuntur per mimesim, id est, per imitationem sermonis alieni fingantur dici ab illis sanctis Patribus qui Christum resurgentem comitabantur. Sed, quocumque modo dicantur, continent historiam et vaticinium rerum gestarum a Christo, dum mortem obiit, in illo triduo quod intercessit inter ejus mortem et resurrectionem: nam, quoniam hactenus David exposuerat mortem Christi, et daemonum fugam et bonorum laetitiam, et reditum Christi ad novam et immortalem vitam, idque exposuerat tanquam in generali; nunc magis in particulari, vel ex sua, vel ex persona aliorum, exponit, quomodo id factum fuerit; exponit, autem, non simpliciter illa narrans, sed sub imagine et figura earum rerum, quas Deus

fecit, quando eduxit ex Ægypto populum Israeliticum, nam illa liberatio ex Ægypto fuit figura et imago hujus liberationis. Sed ita David meminit illarum rerum, quae factae sunt in liberatione aegyptiaca, ut facile intelligatur ipsum non proprie agere de illis rebus, sed illis mediantibus, significare velle aliud genus majus rerum atque sublimius. DEUS, inquit, CUM EGREDERERIS IN CONSPECTU POPULI TUI. Hoc loco subintelligenda est et supplenda similitudinis particula, id quod saepe fit et in aliis locis S. Scripturae, quasi ita dicat sanctus David: Sicut, cum exires ante populum tuum Israel et cum perduceres eum per desertum, te gesisti erga eum populum, similiter te habuisti, cum e potestate Satanae et e servitute illa multo pejore quam fuit aegyptiaca servitus, liberasti vinctos tuos; et ea, quae a te gesta sunt illo tempore liberationis aegyptiacae, eadem, aut etiam multo majora, nunc gessisti, cum e infernis locis educebas populum tuum. Et, ut intelligeremus, ipsum Davidem loqui, non tam de illa liberatione aegypciaca, quam de ista, quae facta est per Christum, addidit post illa verba hanc vocem: SELAM, quae, ut docet divus Hieronymus in variis locis, est quaedam nota quae, quoties adhibetur in psalmis, significat, in illo versu, cui additur, inesse aliquod arcanum atque sublime; et, certe, si in hoc versu ageretur de illa liberatione aegyptiaca, res dicitur notissima et saepe decantata a Davide et aliis Prophetis: caeterum, videamus, quid vaticinetur in ista piorum liberatione, quando illos Christus eduxit e locis infernis. TERRA, inquit, MOTA EST, ETENIM COELI DISTILLAVERUNT; quibus verbis David significat futuram quamdam magnam rerum mutationem, Christo homines educente de potestate daemonis, sicut et magna rerum mutatio facta est, quando Moyses eduxit Judaeos ex Ægypto: nam, sicut tunc mutatio facta est in ipsis Judaeis atque Ægyptiis, quod illi liberati fuerunt et hi fuerunt extincti, atque etiam magna mutatio est (facta) in ipsis elementis et

natura, nam mare divisum fuit, et mons Sinai contremuit, et pluit manna; ita, similiter in liberatione facta per Christum vincti educti sunt e carcere inferni, et daemones, victores, sunt spoliati e sua potestate, et elementa ipsa varie affecta sunt, nam, Christo moriente atque resurgente, terraemotus factus est magnus, et quando spiritum emisit, tenebrae factae sunt super universam terram et velum templi scissum fuit in duas partes. Quod ut magis significaret, adjecit: A FACIE DEI SINAI, A FACIE DEI ISRAEL; nam debet intelligi verbum *contremuit*, ut sit sensus: A FACIE DEI, id est, ad praesentiam Dei, mons Sinai contremuit; id quod evenit in prima illa liberatione, quando Deus descendit in eum montem, legem daturus, atque etiam impletum fuit in ista secunda liberatione, quando terra contremuit Jerosolymis, et velum templi scissum fuit, nam nomen Sinai transfertur in S. Scriptura ad significandas Jerosolymas gentes, ut docet aperte divus Paulus *ad Galatas*, capite IV. Sequitur in textu:

10.—Pluviam voluntariam segregabis Deus haereditati tuae.....

Quasi ita dicat: Sicut illic, quando educebas populum ex Ægypto, largitus est manna, tanquam pluviam, in magna copia; sic in ista secunda liberatione effudisti magnam copiam coelestium bonorum in eos, qui continebantur in illis infernis locis. Quod, autem, dicit VOLUNTARIAM, pro eo in hebraeo est, ad verbum, LIBERALITATEM aut MUNIFICENTIAM; quo significatur, 1.°, quod illa bona coelestia, quae Christus largiturus erat, futura erant in magna copia; et 2.°, significatur, quod illa bona non sunt potissimum referenda ad hominum propria merita, sed ad Christi summam liberalitatem et misericordiam. PLUVIAM, inquit, VOLUNTARIAM SEGREGASTI, id est, peculiariter dedisti; HAEREDITATI TUAE, id est, illis sanctis qui te expectabant. Et sequitur in textu:

INFIRMATA EST, TU VERO PERFECISTI EAM. INFIRMATA, inquit, EST, id est, illi sancti tui, id est, haereditas tua laborabat et anxiabatur tui desiderio adventus, et confirmasti eam, id est, confirmasti illos et laetitia magna affecisti, transferendo ipsos a loco inferni ad gradum felicissimum beatitudinis. Possunt etiam haec omnia, generaliter dicta, de tota Ecclesia bonorum et fidelium intelligi, in quam Ecclesiam Christus resurgens effudit magnam copiam bonorum spiritualium, tamquam pluviam; quae etiam Ecclesia in suo initio infirmata est propter varias persecutiones, quas passa est; sed tandem illam confirmavit Deus, quando delevit et stinxit illius persecutores, et illam collocavit in magna gloria et dignitate. Cui expositioni valde consentaneum est id, quod sequitur:

II.—Animalia tua habitabunt in ea: parasti dulcedinem tuam pauperi, Deus.

ANIMALIA, inquit, TUA HABITABUNT IN EA, scilicet, in ea haereditate; ANIMALIA, autem, TUA (significant in hebraeo GREGEM TUUM) vocat David eos, qui sunt infirmiores aut imperfectiores in Ecclesia. Nam Ecclesia constat ex imperfectis, qui metaphorice in S. Scriptura vocantur *animalia* atque *grex;* et ex perfectis, qui vocantur *pauperes Dei*, juxta illud (Matth., v): *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum;* quibus pauperibus Deus dicitur parasse IN SUA DULCEDINE, quia et in hac vita et in futura illos afficit magnis bonis et consolationibus spiritualibus. Sequitur in textu:

12.—Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.

Pro EVANGELIZANTIBUS in hebraeo est nomen generis femenini, quo significantur mulieres, quae aliquid annuntiant aut evangelizant; quamquam et intelligi potest in

hoc loco, femeninum positum esse pro masculino, et sic intellexerunt LXX interpretes et Chaldaicus paraphrastes. Virtus, autem, in hoc loco, cum dicitur: IN VIRTUTE MULTA, non accipitur pro animi habitu honesto, sed pro potentia et exercitu, ut manifeste apparet ex verbo gracco et hebraico quod ponitur isto loco; unde alii verterunt cum divo Hieronymo: DOMINUS DABIT VERBUM ANNUNTIATORIBUS MAGNI EXERCITUS. Sed utroque modo idem est sensus: nam David, ut communiter exponitur, agit hic de praedicatoribus Evangelii; quamquam Chaldaicus paraphrastes hoc exponit de Moyse et Aaron, qui legem Dei annuntiaverunt populo Israelitico. DOMINUS, inquit, DABIT VERBUM, id est, legem et doctrinam suam; EVANGELIZANTIBUS, id est, Moysi et Aaron, ut ea annuntient; IN VIRTUTE MULTA, id est, in magno exercitu atque congregatione filiorum Israel. Nam, quoniam ea, quae praecesserant hunc versum, videntur in spem dicta esse de illa liberatione aegyptiaca, cum qua fuit conjuncta Legis traditio; idcirco Chaldaicus consequenter hunc versum interpretatus est de illa doctrina Legis. Sed, ut continuemus ordinem nostrae expositionis, dicendum est David in hoc loco vaticinari alterum ex duobus: vel id quod accidit sanctis illis mulieribus, quae post resurrectionem ipsum quaerebant in monumento, quasi ita dicat: DOMINUS DABIT VERBUM, id est, DOMINUS resurgens DABIT VERBUM, id est, mandabit evangelizantibus, id est, illis sanctis mulieribus, quibus resurgens primo apparuit, ut annuntient Apostolis et caeteris Judaeis suam resurrectionem; nam illis mulieribus primo visus est Christus, et illis praecepit, ut festinanter cunctis fratribus suis annuntiarent se resurrexisse. Dicuntur autem evangelizantes virtute multa aut magni exercitus, quia annuntiaverunt se vidisse visiones Angelorum, aut potius, quia fuerunt annuntiatrices potentiae magni Dei, quam ostendit in Christi resurrectione. Vel, 2.°, potest dici, quod ita vaticinatus est David hic id, quod accidit illis sanctis spiritibus

qui, Christo resurgente, dicuntur in Evangelio resurrexisse et introisse in sanctam civitatem et apparuisse multis, et illis annuntiase ea quae Christus, ad inferna descendens, fecerat in illis locis; dicuntur, autem, isti spiritus annuntiantes VIRTUTE MULTA, vel quia annuntiabant magnam potentiam Christi, vel quia ipsi erant in magna copia atque numero; sic, enim, scribitur: *Et multa corpora sanctorum resurrexerunt, et introierunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Cui sententiae aptissime possunt conjungi ea, quae statim sequuntur, scilicet:

13.—Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus dividere spolia.

Hujus versus varia interpretatio est juxta varietatem punctorum hebraeorum: nam pro ista voce DILECTI in hebraeo est quaedam vox, quae recipit varia puncta; et juxta eorum varietatem, varia significat. Nam cum quibusdan punctis significat dilectum, idque secuti sunt LXX interpretes, quos etiam secutus est noster interpres latinus, et propterea ista lectio: DILECTI, DILECTI aliis praeferenda est; at vero cum aliis punctis, illa significat fugere. Et, similiter, pro illo quod dicitur: REX VIRTUTUM, in hebraeo est pluralis numerus; unde alii cum divo Hieronymo verterunt: REGES VIRTUTUM FUGIANT, FUGIANT ET SPECIES DOMUS DIVIDET SPOLIA. Ut statim dicemus, utraque interpretatio continet eamdem sententiam: qui hunc psalmum interpretantur, non quidem de Christo, sed de his rebus, quae evenerunt populo Israelitico, referunt hunc versum ad illa, quae acciderunt illi populo, postquam eductus fuit e Ægypto et introductus fuit in terram promissionis; nam reges, qui illam obtinebant, Judaei in fugam verterunt et estinxerunt, et terram ipsorum atque praedam intersese partiti sunt.

Sed, quoniam pro certo constitutum est a nobis superius, quod totus hic psalmus intelligendus est ad litteram de Christo, idcirco, persistentes in incepta interpretatione, dicimus, quod David isto versu vaticinatur illa quae illi sancti spiritus (qui, Christo resurgente, resurrexerunt) annuntiaverunt illis, quibus apparuerunt; quasi ita David dicat: Dominus daturus est verbum, id est, vim atque vitam ad annuntiandum ea, quae ab ipso gesta sunt in infernis locis; itaque apparebunt multis, et dicent illis primo metum atque trepidationem daemonum, cum primo viderunt animam Christi, coelesti lumine circunfusam, coelesti inquam lumine; secundo, dicent inferni direptionem; tertio et ultimo, sanctarum animarum gaudium atque laetitiam. Et de primo, scilicet, de daemonum metu atque trepidatione, ubi primum viderunt Christi animam descendentem, dicitur: REX VIRTUTUM, DILECTI, DILECTI, nam referunt illi sancti, per imitationem sermonis alieni, ea verba, quibus usi sunt daemones, conspecta Christi anima; quasi ita dicat: Ubi Christus primum descendit ad inferna loca, illius conspecta majestate et splendore, daemones perterriti et se ad fugam mutuo cohortantes dixerunt: DILECTI, DILECTI, *en adest* REX VIRTUTUM, nostras domos direpturus.

Et eamdem sententiam habet id, quod alii vertunt in hoc loco, scilicet, REGES VIRTUTUM *fugerunt, fugerunt;* nisi quod non dicitur per imitationem sermonis alieni, sed ipsi sancti ex sua persona narrantes ea, quae ibi gesta sunt, dicunt: reges illi potentes, qui orbem tenebant tyrannide oppressum, statim atque viderunt animam Christi descendentem ad inferna loca, metu consternati, in fugam conversi sunt, ET SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA, id est, SPECIEI DOMUS datum est DIVIDERE SPOLIA. Dixerunt trepidationem daemonum; nunc dicunt, quemadmodum a Christo infernum fuit direptum, dicentes: ET SPECIEI DOMUS concessum est, ut videret spolia. Species domus proprietate sermonis hebraici significat mulieres, eo quod mu-

neris illarum sit domestica negotia curare, quemadmodum tradit Xenophon in Œconomia, et ornare domum et ordinare et curare, ut omnia sint culta atque nitentia; ex quo alii hunc locum convertunt isto modo: ET HABITATRIX DOMUS DIVIDERE SPOLIA. Unde per metaphoram species domus vocatur ipsa anima, quae sicut mulier in domo sic ipsa in corpore illi affert decus atque ornamentum; ex quo ipsum corpus in S. Scriptura metaphorice vocatur domus, ut apparet in illo Job, capite IV. *Qui habitant domos luteas et terrenum habent fundamentum.* DIVIDERE, autem, SPOLIA in S. Scriptura idem significat, quod praedam diripere; dicitur, autem, Christus Dominus spolia divisisse, quando ad infernum descendit, et eripuit e daemonibus sanctos Patres, quos detinebant; unde Esaias, LIII, ubi agit de ista Sanctorum Patrum liberatione, eadem figura verborum dicit de Christo: *Et cum fortibus dividet spolia*, quemadmodum id interpretantur fere omnes antiqui Patres. Inquit, ergo, David ex persona illorum sanctorum: ET SPECIEI DOMUS DIVIDERE SPOLIA, quasi ita dicat planius: Conspecta Christi anima, daemones perterriti fugerunt, et, illis recedentibus, species ipsa domus, id est, illa anima sanctissima, quae praecipua quadam ratione ornamentum afferebat corpori suo, divisit spolia, id est, eripuit e potestate daemonum illos, quos illi vinctos tenebant. Dicitur, autem, Christus divisisse spolia, quia non omnes, qui erant in inferno, secum duxit; sed partim reliquit, scilicet, impios, et partim liberavit, scilicet, pios: unde et alibi de hac re dicitur, ex persona Christi: *Morsus tuus ero, inferne; morsus tuus*, inquit, quia non exhausit totum infernum, sed quadam ex parte vacuum reliquit. Sequitur in textu:

14.—Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore aureo.

Valde consonat iste versus cum superioribus, intellectis eo modo quo a me exposita sunt; ex quo intelligitur, hanc nostram expositionem ipsa veritate fulciri. Sed, quoniam pleraque verba hujus versus sunt figurata et variae significationis, idcirco primo dicemus de verbis et secundo de sententia ipsa. Igitur, pro eo quod noster interpres, secutus LXX, posuit: INTER MEDIOS CLEROS, in hebraeo est quaedam vox, quae varia significat: nam significat cleros, id est, sortes, et divisiones, et terminos; atque etiam significat, ut tradunt hebraei et recentiores interpretes, significat, inquam, ollas et lebetes et tripodes. Unde alii vertunt: SI DORMIATIS SIVE HABITETIS INTER TRIPODES aut LEBETES, quo significatur habitare in loco fuliginoso et nigro et sordido, qualis est hic locus, ubi reponuntur hujus vasa; id, autem, significat esse in tristitia et moerore, nam quemadmodum candor atque lux in S. Scriptura habent significationem laetitiae et felicitatis, sic nigredo et fuligo et tenebrae habent significationem tristitiae et calamitatis. Quod, autem, additur: PENNAE COLUMBAE DEARGENTATAE, idem est ac si diceret, columbae candidae aut candore coopertae, qualis est argenti color. ET POSTERIORA DORSI EJUS IN PALLORE AURI; alii vertunt: IN FULGORE AURI, quod idem est; caeterum, per POSTERIORA DORSI noster interpres intellexit caudam et extrema alarum, referentia auri fulgorem; et ita, his verbis describit columbam pulcherrimam, dorso et extremis alarum referentem fulgorem auri, reliquo autem corpore candidiore argento. Et dicit, quod illi, qui jacebant inter terminos aut inter ollas, facti sunt candidi et pulchri ad similitudem columbae candidae atque pulcherrimae. Atque haec dicta sint de verbis.

Jam videamus, quae sit sententia hujus vaticinii, et ad quos pertineat. In superiore versiculo, ut dictum est, inducti sunt a Davide illi Patres, qui cum Christo Domino resurrexerunt annuntiantes illis, quibus apparuerunt, daemonum trepidationem et direptionem inferni, factam per Christum; nunc, in isto versu, idem sancti pergunt dicere sanctarum animarum, quae erant in illis locis, a summa tristitia ad summum gaudium traductionem. Itaque dicunt: SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, id est, Christo ad inferna loca descendente, non solum trepidaverunt daemones et spoliati sunt a Christo; sed etiam sancti, qui erant in illis locis, ex tristissimis sunt effecti laetissimi. SI DORMIATIS, inquit, id est, quamvis illi dormiebant et jacebant, tanquam in nocte; nam ponitur secunda persona pro tertia, quod est usitatum in S. Scriptura; igitur, quamvis illi dormiebant in nocte, maerore oppressi et impediti, ne alio se conferrent, INTER MEDIOS CLEROS, id est, inter duos illos terminos (nam sic vocat loca ea, in quibus sancti illi erant, propterea quod essent tanquam in confinio mortis atque vitae, scilicet, in confinio inferni, qui est locus damnatorum, et coeli, quae est sedes beatorum); igitur, quamvis illi jacebant INTER MEDIOS CLEROS aut, secundum aliam significationem, inter tripodes aut ollas, id est, in loco obscuro et caliginoso; tamen, Christo adveniente et sua claritate loca illa illustrante, PENNAE COLUMBAE DEARGENTATAE, id est, effecti sunt nitidiores et candidiores et fulgentiores, quam sit columba candidissima et pulcherrima, penniis suis imitata candorem argenti, id est, effecti sunt laetissimi, nam, ut diximus, *candore* significatur laetitia atque felicitas. Usus est, autem, columbae similitudine, potissime ad declarandam pulchritudinem et laetitiam, quam illae sanctae animae ex Christo acceperunt, quia, ut videmus in *Canticis*, anima pulchra per divinam gratiam et splendorem saepius appellatur columba. Potest etiam hic versus accipi, non incommode, quasi dictus ex persona eorum,

quibus illi sancti apparuerunt, ut sit in eo alia imitatio sermonis alieni, ita ut illi, quibus apparebant, conspecta illorum claritate et cognitis his rebus, quae a Christo gesta sunt in infernis locis, tanquam illis gratulantes de sua liberatione, et cum quadam significatione admirationis, respondeant atque dicant: SI DORMIATIS, id est, quamvis jacebatis vos, sancti, in loco illo tenebroso subterraneo, tamen, ut videmus, redditi estis candidiores columba candidisima, id est, traducti estis a tristitia ad laetitiam, a locis tristissimis ad loca plena claritatis et felicitatis. Cui valde consentaneum est id, quod sequitur in textu:

15.—Dum discernit coelestis reges super eam, dealbabuntur nive in Selmon.—16.—Mons Dei, mons pinguis.

Nam ista verba sunt eorum, qui cum Christo resurrexisse et apparuisse dicuntur, quibus verbis reddunt rationem sui candoris atque splendoris illis, quibus apparuerunt et qui id ipsum admirabantur. Sed ut sententiam hujus versus melius declaremus, prius est notandum, quod discernere in hoc loco idem est quod dividere aut separare, et dicitur hic, quemadmodum fit in certamine, ubi qui vincuntur, divisi atque dispersi, diffugiunt in varias partes. Et quod id verbum in hoc loco sic accipiendum sit, constat ex verbo hebraico, cujus loco ponitur; quod proprie significat dissipare. Quod, autem, dicitur SUPER EAM, pro *super* in hebraeo est particula, quae etiam significat *in;* unde alii vertunt: CUM DISPERGIT COELESTIS REGES IN EA. Selmon aut cujus hic fit mentio mons est, qui dicitur hiberna nive semper albare; igitur, hoc supposito, David in hoc versu inducit loquentes illos sanctos, de quibus loquimur, et rationem reddentes sui splendoris quibus apparuerunt, et quasi ita dicentes: minime mirandum esse, se splendere atque lucere; nam, inquit, etiam illa loca carceris obscura et tenebrosa effecta sunt nive candidiora, quando, Christus

descendens ad illa loca, daemones fugerunt. Et territi fugiunt, inquit, DUM DISCERNIT, id est, quando dividebat et dissipabat vi suae claritatis atque potentiae; COELESTIS, id est, Christus, sic enim rectissime a nostro interprete et a Septuaginta conversum est id, quod in hebraeo legitur in hoc loco, scilicet, OMNIPOTENS, ut intelligeremus hic agi de Christo, qui in S. Scriptura proprie appellatur coelestis, ut patet in illo Pauli *ad Corinthios* primae, cap. XV: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de coelo, coelestis*, et: *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem coelestis;* igitur quando dispergebat COELESTIS, id est, Christus, REGES, id est, daemones, qui in S. Scriptura vocantur principes ut in illo Pauli *ad Ephesios*, VI: *Principes tenebrarum harum*, et Joannis capite XIV: *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Igitur, quando illos Christus dispergebat super eam aut in ea, id est, super eam regionem aut in ea regione, in qua cum illis fuit congressus, id est, in locis infernis; tunc, inquam, NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON, id est, tunc illa loca ab ipsa claritate et praesentia Christi effecta sunt nive candidiora, quemadmodum fit in monte Selmon, qui nive perpetuo albescit. Nam illa praepositio *in*, et particula hebraica quae illi respondet, aliquando in S. Scriptura est similitudinis nota, et valet idem quod *sicut*, ut apparet in illo Esaiae XLVIII: *Examinavi te, sed non in argento*, id est, non sicut examinari solet argentum. Itaque dicunt, quod quando Christus discernebat et dissipabat daemones, illa loca inferni ab ipsius claritate lucidissima effecta sunt; et statim, converso sermone ad ipsum Christum, exprimit David admirationem, quam aequum erat accipere de rebus gestis a Christo, tam magnis atque praeclaris, et ita dicit: MONS DEI, MONS PINGUIS.

Vocat montem ipsum Christum, quasi ita dicat: O MONS DEI, O MONS PINGUIS, quam es admirabilis, quantum documentum dedisti tuae excellentiae atque magnitudinis!

MONS, inquit, DEI; vocatur Christus mons apte atque convenienter: nam in S. Scriptura nomen montis translate ponitur ad significandos principes atque reges, qui eminent inter alios, sicut montes altiores sunt quam reliqua loca terrae; id patet manifeste in illo psalmi LXXI: *Accipiant montes pacem populo, et colles justitiam* et multis aliis in locis. Igitur, cum Christus in S. Scriptura nominetur Rex Dei, ut patet in psalmo II, idcirco convenienter etiam vocatur mons Dei, per translationem et metaphoram; quo nomine etiam appellatur ab Esaia, capite II, cum dicitur: *Et erit in novissimis diebus mons Domini praeparatus in vertice montium* etc.; et Daniel, capite II, loquens de Christo, dicit, quod lapis ille *abscissus sine manibus*, qui statuam percussit atque comminuit, postea crevit in montem magnum. Igitur, illi qui viderunt et audierunt ea, quae Christus gessit in inferno, in hoc versu a Davide inducuntur laudantes et admirantes ipsum Christum. Idque valde convenienter: quia ita natura comparatum est, ut quando videmus aut audimus aliquid gestum praeclare ab aliquo, statim prorumpimus in voces, quae significent et animi nostri admirationem, et contineant laudem illius, de quo agimus. Quod idem in hoc loco fit. MONS, inquit, DEI, MONS PINGUIS, quasi ita dicat: hic est vere mons, id est, vere rex, et vere omnipotens, et beneficus in suos et praestans omnia, quae desiderari possunt ab optimo rege; itaque, vere hic est MONS DEI, id est, rex a Deo constitutus, atque etiam MONS PINGUIS, utpote qui suos afficiat larga copia bonorum. Sed est advertendum, quod pro eo, quod noster interpres posuit: MONS PINGUIS in hebraeo est: MONS BASAN; Basan, autem, est nomen montis proprium, sorte qui contigit Rubenitis, qui mons est aptissimus ad pastum pecoris. Ex quo noster interpres, respiciens ad sensum et sententiam, rectissime vertit, non: MONS BASAN, sed: MONS PINGUIS; nam ista de causa, scilicet, propter pinguedinem et fertilitatem, hic mons transfertur ad significandum Chris-

tum; quamquam et ipsum nomen Basan pinguedinem significat, quare utroque modo hujus montis et nomen et natura recte traditur ad significandam Christi bonitatem et largitatem erga fideles suos. Sequitur:

MONS COAGULATUS, MONS PINGUIS.—Repetitio est ejusdem sententiae cum quadam amplificatione, quo magis significent sui animi admirationem. MONS, inquit, COAGULATUS; pro COAGULATUS, alii vertunt eodem sensu: MONS INCASEATUS, ut adnotavit Glossa interlinearis, id est, mons qui abundat coagulo et caseo et lacte; appellatur autem sic ille mons Basan, quia, ut dictum est, erat maxime pascibulus, id est, pascuus, et ob id abundabat gregibus. Alii, vero, pro monte coagulato vertunt MONS EXCELSORUM, quod adnotavit Lyranus, quia verbum hebraicum in hoc loco ambiguum est ad omnes istas significationes; dicitur, autem, mons Basan MONS EXCELSORUM, propterea quod assurgit in plura juga. Quae omnia rectissime quadrant Christo Domino, ad quem hoc nomen metaphorice transfertur: nam 1.°, dicitur MONS COAGULATUS, id est, abundans lacte, ut significetur ab ipso ali atque sustentari, non solum perfectos, sed etiam imperfectos, qui lacte nutriuntur, ut inquit divus Paulus; et quemadmodum in illo monte inferiores partes sunt aptae pro ferendis frugibus, superiores vero habent lectissima pascua, ita in Christo Domino et est panis, id est, cibus perfectorum, et est lac, id est, nutrimentum imperfectorum: 2.°, dicitur Christus, secundum aliam significationem, MONS EXCELSORUM, id est, qui in plura juga assurgit, quia Christus non excedit atque eminet uno modo, sed totus constat ex excellentiis et, ut inquit Paulus *(ad Ephesios*, I): *tenet primatum et principatum in omnibus* rebus. Et, ut magis ostendat David hujus divini montis laudem, amplificat illam ex collatione et comparatione ad alios montes, dicens:

17. — Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Pro SUSPICAMINI alii vertunt: QUID AEMULAMINI, aut: QUARE INVIDETIS MONTES COAGULATI huic, scilicet, monti? etc. Et utraque versio habet eamdem fere sententiam: quamquam semper praeferenda est nostra latina conversio. Inquit, ergo, David ex persona eorum, quos supra diximus: UT QUID SUSPICAMINI MONTES COAGULATI? nam in his verbis convertunt sermonem suum ad alios montes, id est, ad alios reges et praecipue ad ipsos daemones et omnino ad omne illud, quod Christo contradicit; quasi dicat: Hic est mons vere pinguis; vos, autem, qui illi contradicitis, QUID SUSPICAMINI? id est, quare falso vobis persuadetis esse alios montes coagulatos, id est, esse alios Deos aut Dominos, qui praesideant rebus universis, cum iste solus sit constitutus a Deo Patre judex vivorum atque mortuorum, nec *sit aliud nomen sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri?* Ita interpretantur divus Augustinus et Cassiodorus. Vel secundum aliam significationem, ita dicunt: quare vos, qui haberi vultis montes coagulati et cupitis vobis arrogare divinitatem et rerum dominium, QUARE, inquam, INVIDETIS huic monti vere divino? nam quid in vobis est, quod conferri cum illo possit, sive attendatis ad potentiae magnitudinem, sive ad regni durationem, sive ad reliquas dotes egregias atque praestantes? Nam, inquit, MONS iste est IN QUO BENEPLACITUM EST DEO HABITARE IN EO: ETENIM DOMINUS HABITABIT IN FINEM, quasi ita dicat: nam istum montem, id est, Christum Deus amat amore praecipuo et prosequitur amore eximio, et in eo dulcissime conquiescit; ETENIM IN EO HABITABIT IN FINEM, id est, habitabit in aeternum. His, igitur, praedictis a Davide de Christi resurrectione et de rebus ab ipso gestis in inferno, jam pergit ad

caetera praedicenda, quae secuta sunt Christi resurrectionem, scilicet, ad praedicendam ipsius in coelum ascensionem, et missionem Spiritus Sancti, et Evangelii predicationem, et caetera hujusmodi. Et, primo, praedicit ascensionem Christi, ipsum inducens circumfusum, cinctum millies millibus curruum atque equitum et triumphali habitu atque more coelum ascendentem, scilicet, metaphorice per ista significans multitudinem angelorum atque hominum, qui ipsum ascendentem comitabantur. Inquit, ergo:

18.—Currus Dei decem millibus multiplex millia laetantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.—19.—Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus....

CURRUS DEI, inquit, etc.; istis verbis, quemadmodum dixi, (significat David) quam magno comitatu Angelorum atque hominum Christus coelos ascendat. Sed addit: DOMINUS IN EIS, id est, Dominus inter eos, IN SINA, IN SANCTO, id est, sicut contigit in Sina, monte sancto; nam confert David istis verbis majestatem Christi, ascendentis in coelum, cum ea, in qua se conspiciendum prebuit, cum apparuit populo Israelitico in monte Sinai, Legem daturus. Et statim, ad Christum sermone converso, David enuntians ea quae futura erant quasi essent praeterita, subjungit: ASCENDISTI IN ALTUM, scilicet, illis curribus angelorum atque hominum te comitantibus; CEPISTI CAPTIVITATEM, id est, captivitatem, quam eripuisti e potestate daemonum, tecum duxisti (vocat autem captivitatem, multitudinem illorum sanctorum, qui antecesserunt nativitatem et mortem Christi, qui et captivi tenebantur); ACCEPISTI DONA EX HOMINIBUS, id est, jam in coelum sublatus, accepisti a Patre dona, quae in homines effunderes, scilicet, dona Spiritus Sancti, sicut ipse Christus dicit apud Joannem, capite XVI: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem ego abiero, mittam illum ad vos.* Sed quaeret aliquis hoc loco, quare divus Paulus *(ad Ephesios,* IV), in quo loco citat hunc versiculum et exponit illum in hanc sententiam, non dicit: ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS, sed: DEDIT DONA HOMINIBUS? Ad hoc respondetur, quemadmodum respondet Glossa ordinaria, quae est desumpta ex divo Augustino, quod divus Paulus retulit sensum horum verborum; nam sive dicas ACCEPISTI, sive DEDISTI, utrobique eadem sententia est, et utrumque verissime dicitur: DEDISTI, quia Christus, quatenus Deus est, misit Spiritum Sanctum, sicut et Pater; ACCEPISTI, quia Christus, quatenus homo est, id impetravit a Patre, ut suis largiretur Spiritum Sanctum. Caeterum, quia dixit David: ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS, ne aliquis existimaret illam missionem Spiritus Sancti solum pertinere ad Judaeos, et in illos solum, et non in gentes, conferenda esse dona Spiritus Sancti, idcirco adjecit statim:

ETENIM NON CREDENTES INHABITARE DOMINUM DEUM. Id est, etiam in NON CREDENTES, nam sic vocat gentiles, eo quod essent dediti cultui idolorum, quasi ita dicat: haec liberalitas Christi et haec fusio coelestium bonorum et donorum, non solum pertinebit ad Judaeos, qui verum Deum colebant, sed etiam ad eos, qui illum ignorabant; nam, inquit, etiam NON CREDENTES, id est, qui antea erant infideles et gentiles, INHABITARE DOMINUM DEUM, id est, cognoscent habitare inter ipsos Dominum Deum, nam videbunt dona Spiritus Sancti visibiliter effudi in plurimos gentiles, quemadmodum contigit in primitiva Ecclesia. Et sic exponit hunc locum Glossa interlinearis, et Lyranus; et ipsa verba hebraica, ad verbum conversa, hanc sententiam aperte insinuant, nam inquiunt: ACCEPIT DONA HOMINES ETIAM REBELLES, AD HABITANDUM ETIAM IN IPSIS DOMINUM DEUM, id est, contulit Deus dona Spiritus Sancti, non solum Judaeis, Deum colentibus, sed etiam illis, qui obsistebant atque repugnabant verae religioni atque cultui Dei, id est, gentilibus. Nam ista res commovit magnam admirationem in prima Ecclesia apud Judaeos fideles, adeo ut ipse

divus Petrus, post acceptum Spiritum Sanctum, necesse habuerit admoneri de ea re per peculiarem revelationem, ut constat *Actorum* capite X; quo etiam loco Judaei, admirantes Spiritum Sanctum gentibus dari, dicebant: *Quia et in gentes gratia Spiritus Sancti effusa est.* Sequitur:

20.—Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Exposito illo ingenti dono atque beneficio, cum Spiritus Sanctus hominibus datus est, consequenter David adjungit gratiarum actionem, dicens: BENEDICTUS DOMINUS DIE QUOTIDIE, id est, per singulos dies. Et statim ex tanto Dei beneficio concepta fiducia, quod Deus nunquam erat defuturus suo populo, vaticinatur Evangelii praedicationem habituram successum felicissimum, ipso Spiritu Sancto adjuvante, dicens: PROSPERUM ITER FACIET NOBIS DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM. Id est, quoniam Spiritus Sanctus datus est, ut eo accepto, Apostoli Evangelium praedicarent juxta illud *Actorum*, capite I: *Sedebitis in Jerusalem, donec induamini virtute ex alto* (1); idcirco, post commemorationem Spiritus Sancti, consequenter additur a Davide: PROSPERUM ITER FACIET NOBIS; aut, ut habetur in hebraeo et a divo Hieronymo vertitur: ET PORTABIT NOS DEUS SALUTARIUM NOSTRORUM, id est, ipse ducet nos, et ubicumque pervenerimus Evangelium praedicaturi, felicem successum praedicationi (dabit). Atque, ut hoc ipsum magis confirmet, utitur repetitione ejusdem rei, dicens:

(1) Textus, quoad verba, potius pertinet ad Lucam, capite XXIV, vers. 49

21.—Deus noster Deus salvos faciendi: Domini Domini exitus mortis.

DEUS, inquit, NOSTER; repentendum est superius verbum, scilicet: PROSPERUM ITER DABIT NOBIS DEUS NOSTER. DEUS, inquit, SALVOS FACIENDI, id est, Deus qui potest salutem dare quibuscumque velit. Quo nomine etiam videtur proprie Christus significari, cujus proprium nomen est Jesus, id est, Salvator. Convenientissime, autem, commemorat David in hoc loco hanc potentiam Dei SALVOS FACIENDI, id est, liberandi quoscumque velit, a quibusvis periculis et malis, nam, ut dictum est, agit in hoc loco de felici successu Evangelii et de ejus praedicatione. Caeterum, praedicare Evangelium et condemnare tamquam falsam antiquam et in toto orbe receptam idolorum religionem, nemo hominum auderet aggredi, nec sperare posset felicem successum, nisi magna vi coelesti roboraretur, et nisi persuasus esset, se agere causam ejus, qui posset eum ab omni periculo liberare; nam, sine dubio, erat audax negotium et periculi plenum et antiquas et a majoribus acceptas religiones hominibus velle eripere. Quam ob causam, David convenientissime cum vaticinio praedicationis Evangelicae conjunxit commemorationem divinae potentiae, docens quam facile esset Deo servare suos predicatores ab omni incursu malorum, quasi ita dicens: DOMINUS DABIT PROSPERUM ITER NOBIS praedicatoribus Evangelii, scilicet, et nostrum conatum ad felicem exitum perducet; quod, quamvis sit nimis periculosum, tamen Deo erit factu facili, nam est DEUS SALVOS FACIENDI, id est, Deus praeditus summa potestate servandi quos velit et a quibuscumque periculis velit. Et statim adjecit: DOMINI DOMINI EXITUS MORTIS; ubi subintelligenda est particula causalis, quasi dicat: idcirco est DEUS SALVOS FACIENDI, id est, Deus potens ad salvandos suos a quocumque periculo, quia in ejus pote-

statis imperio sunt EXITUS MORTIS, id est, potest eripere suos a morte, sive corporis, sive animi. In quo David argumentatur a majori, dicens: nam si Deus habet mortem in sua potestate, sequitur, quod potest eripere a morte quos velit; et si a morte potest eripere, quod habetur gravissimum et maxime formidandum malum, poterit etiam eripere a caeteris malis minoribus. DOMINI, inquit, SUNT EXITUS MORTIS: usus est numero multitudinis, ut significaretur utraque mors, et corporalis et spiritualis; dicitur, autem, Deus habere mortem in sua potestate: primo, quia habet jus vitae (et) necis in universos; secundo, quia in morte, id est, in re tristissima et maxime metuenda, cum privamur ista luce et cum circumcingimur horrore et timore magno malorum agmine, tunc, inquam, Deus ostendit erga suos maximam vim suae bonitatis atque dulcedinis, illos perfundens gaudio laetissimo in mediis malis; unde apud *Job*, XI, dicitur per metaphoram: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer*. Sequitur:

22.—Verumtamem Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Quidam (ista) interpretantur de eversione Judaeorum, quae conjuncta fuit cum prima praedicatione Evangelii: sic Esaias, IV, cum praediceret eversionem Judaeorum faciendam per Romanos, cum illa copulavit praedicationem Evangelii, dicens: *In illa die erit germen Domini in magnificentia, et fructus terrae sublimis*. Sed et commodius intelligitur iste versus de eversione idololatriae, idque est magis consentaneum cum superioribus: nam praedicebat David praedicationem Evangelii et quasi hortabatur Apostolos ad id intrepide praedicandum, securos illos faciens de ejus felici successu; unde ut magis id confirmaret, adhibet affirmationem, et affirmat sine dubio futurum, ut idolorum cultus,

tanto annorum numero corroboratus, ad nihilum redigatur. Itaque dicit: VERUMTAMEN, hoc est, certe, sine dubio, Evangelium praedicabitur felici successu; nam Deus, non solum praedicatores liberabit a periculo, sed etiam CAPITA INIMICORUM SUORUM, id est, ipsa idola, quae praesunt atque imperant suis inimicis, id est, infidelibus, CONFRINGET atque comminuet. Quasi, sermone converso ad Apostolos, ita dicat illis: Ne timeatis, quod pauci et inermes vos circumcingi videatis a tot gregibus luporum; nam, sine dubio, CONFRINGET DEUS, non solum vulgares inimicos, sed etiam ipsa CAPITA, id est, ipsos duces atque deos illorum superbissimos conteret atque comminuet. Sed addit: VERTICEM CAPILLI PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS; idem repetit aliis verbis per expolitionis figuram: nam quod in superiori parte versus dixerat CAPITA, hic vocat verticem capilli; et quod superius appellaverat INIMICOS, hic vocat PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS. In quo manifeste significat gentiles, qui non solum erant inquinati multis delictis, sed etiam illa habebant pro licitis et honestis, et peccandi exempla sumebant a suis diis; et ideo dicuntur PERAMBULANTES IN DELICTIS SUIS, id est, habentes illa pro honestis et non verentes palam et in oculis omnium illa perpetrare. Caeterum, non sine causa David dixit, non quidem istos inimicos esse confringendos, sed ipsorum CAPITA eorum; quia, eversis idolis et illorum cultu, ipsi cultores, non quidem extincti sunt, sed magna ex parte traducti ad verum Dei cultum. Quod idem, exemplo quodam adhibito, magis adhuc confirmat, dicens:

23.—Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.

Subintelligenda est hoc loco particula similitudinis hoc sensu: Dixit Dominus etc., quasi ita dicat: Non est cur dubitetis, quin hoc futurum sit ita, quemadmodum vaticina-